

futurum, ego Iohannes de Syberg canonicus ecclesie sancti Andree Coloniensis, excusator reverendi in Christo patris et domini mei domini Heinrici archiepiscopi Moguntini, nomine excusatorio eiusdem domini mei et pro ipso ac pro iustis sue absencie causis allegandis, quod personaliter, ut per vestram sanctitatem super quibusdam sibi, ut dicitur, inpositis citatus rescitur in Avinione^a, ubi eiusdem vestre sanctitatis curiam tenetis, in vestri presencia comparere non valeat neque possit, propono, dico et allego causas absencie subscriptas.

(1) In primis propter temporis maliciam et notorias discordias ac gwerras in terris et districtibus, quibus et non aliis de dyocesi Moguntina ad vestre sanctitatis antedictam curiam transitus habetur, subortas, videlicet inter gloriosos principes . . reges Francie et suos fautores ex una et . . Anglie ac suos similiter fautores parte ex altera ac alios plures . . comites, barones atque terrarum et districtuum eorundem, per quos transitus ut premittitur habetur, nobiles. (2) Item propter inimicicias et persecuciones capitales et hostiles, quas dominus^b et sui complices contra Theutonicos seu Alamannos quasi omnes, specialiter contra hos, qui pro dyocesi et de dyocesi Moguntina ad curiam vestram prenotatam transire consueverunt, habuit et habuerunt, habet et habent, ac idem . . dominus et sui complices plures, qui hactenus de dyocesi Moguntina ad memoratam curiam seu de ipsa vestra curia ad dyocesim Moguntinam transire debebant, ceperunt et diris vinculis manciparunt, specialiter^c, ut hoc notorium existit, et adhuc cottidie quoscunque Theutonicos transire volentes, maxime personas notabiles seu magni status et sublimes, idem dominus . . .^d cum suis^e complicibus et fautoribus persequitur. Immo nobilis vir dominus Gerlacus comes de Nassauwia, cum in certa legatione ex parte eiusdem . . domini mei nuperrime ad curiam vestre sanctitatis fuisset preparatus et in itinere constitutus et usque ad Columbariam profectus, propter certas capitales et hostiles insidias, que tunc sibi inposite fuerant, non audebat ulterius ad suam legacionem perficiendam proficisci^f, prout hoc in dyocesi Moguntina notorium existit. (3) Item propter graves infirmitates, quas idem dominus meus . . archiepiscopus Moguntinus in corpore

a) 'auinnion' Hs. b) Lücke von vier Worten am Ende der Zeile.
 c) Lücke von acht Worten am Ende der Zeile. d) Lücke von zwei Worten.
 e) Auf Rasur. f) 'proficisci' Hs.